

CAPUT II.

DE FURTO.

§ 1. DE NATURA FURTI.

500. Furtum *latiori sensu* complectitur omnes actiones vel omissiones quibus proximus in bonis fortunae laeditur : quo sensu venit in septimo Decalogi praecepto : “ Non furtum facies. ”

In *sensu proprio* definitur a S. Thoma (2. 2. q. 66. a. 3) : “ Occulta acceptio rei alienae „, et a multis recentioribus : “ Injusta ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito. „ Fusius a Molina (de Just. et J. t. III disp. 681. n. 16) describitur : acceptio injusta boni externi, absque vi et absque ullo consensu ejus cujus est, saltem quoad legitimam tentionem.

Acceptio discriminat furtum a damno injuste illato, nullo damnificantis emolumento, ex. gr. segetes destruendo, et ab injusta retentione rei quae prius bona fide accepta fuerit.

Injusta, ad excludendam occultam compensationem qua juste rem tuam a debitore moroso recuperes.

Boni externi, ad excludendam usurpationem personae liberae, ex. gr. filiorum patri ereptorum.

Absque vi. Haec verba distinguunt furtum a rapina, quae includit manifestam vim illatam personae domini praesentis et renitentis.

Absque ullo consensu ejus cujus est. Ita discriminatur furtum ab usura in qua solutio pecuniae indebitae non est plene involuntaria. Ut notat Ball. P. (n. 12) : “ Ad excusandum a furto non requiritur positiva voluntas domini, sed satis est eum nec esse, nec fore graviter invitum quoad substantiam. Si postea advertas esse invitum quoad substantiam, rem retinere non potes ; quia cessat praesumptio quae excusabat. ”

Saltem quoad legitimam tentionem. Haec indicant furtum dari etiam quando res aufertur illi qui, licet ejus proprietatem non habeat, eam tamen legitime detineat. Ita furaretur qui rem auferret quam ipse creditori in pignus dedisset.

Ex his explicationibus sequitur non furari eum qui rem alienam accipiat joco, vel ob bonum aut commodum illius a quo accipit, ac proinde domino nullatenus vel saltem non rationabiliter invito, ex. gr.

si uxor auferat a marito pecunias ne ludis aut comessionibus eas prodigat. (Bus. ap. S. n. 519)

Duo autem sunt quae dicuntur a furto excusare, seu quae, pressius loquendo, efficiunt ut ablatio rei alienae furti rationem non habeat : scil. necessitas extrema et occulta compensatio. De singulis hic breviter dicendum.

§ 2. DE NECESSITATE QUAE A FURTO EXCUSAT.

501. ASSERTA. I. Homo in *necessitate extrema* positus (n. 222) potest e bonis alienis tantumdem accipere quantum ipsi ad hanc necessitatem evadendam necessarium est.

Ratio est : ex ipso jure naturali et ordine divinae Providentiae, res temporales destinari ut iis hominum necessitati subveniatur ; huic autem juri naturali derogari nequit per rerum divisionem et appropriationem, quae ex jure humano procedit. In hoc sensu dicuntur omnia, in necessitate extrema, fieri communia. Si ergo periculum personae imminens aliter averti nequit, licet rem alienam vel occulte vel manifeste arripere. (S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7)

Necessitati extremae, e communi auctorum sententia, assimilatur *quasi-extrema*, ut dictum est n. 222.

Ratio est quod, etiam in ista, agitur de servandis bonis quae natura ex se intendit communia esse omnibus hominibus ; quare pariter videtur jus datum singulis ad media ordinaria quibus hujusmodi bona conservent. (Lugo, disp. 16. n. 155)

502. Quaedam autem explicanda manent de natura et amplitudine hujus juris accipiendi rem alienam in necessitate extrema vel quasi-extrema.

1^o Juxta sententiam probabiliorem (Lugo, l. c. n. 143 ; S. Alph. n. 520), qui versatur in necessitate habet jus strictum ut rem sibi necessariam faciat suam aequae ac si nullius esset ; dominus autem rei occupandae tantum ex caritate tenetur ad illam indigenti tribuendam, ex justitia vero ad nullum impedimentum ponendum quominus indigens jure suo utatur. Ideo qui negligit succurrere pauperi in extrema necessitate posito, ad restituendum minime tenetur ; si vero obstaret ne rem sibi necessariam arriperet, ad omnia damna inde secuta reparanda obligaretur.

2^o Si res ablata, finita necessitate, non est consumpta, ex. gr. equus ad fugiendos latrones arreptus, domino restituenda est : siquidem jus proprietarii jam non eliditur jure primario alterius ad vitam vel bona

vitaliter moraliter aequivalentia. Si vero res, durante necessitate, consumpta est, nihil restituendum est ab eo qui, eo momento quo rem arripuit, neque actu, neque in spe probabili habebat unde restitueret: nam, saltem ex aequitate naturali, domini ab hujusmodi plane indigentibus restitutionem exigere nequeunt. Qui vero alibi bona habet vel probabiliter habiturus est, nequit rem alienam auferre nisi cum onere eam, si consumpta fuerit, restituendi. Nihil enim amplius requiritur ut e praesenti necessitate exeat. Nec videtur aliter solvendus casus consumentis in necessitate rem quam antea furto proprie dicto sustulerit. (S. Alph. n. 520)

3^o Disputatur inter AA. num haec facultas arripiendi rem alienam complectatur etiam rem magni valoris, puta notabilem pecuniae summam.

Plures id negant, ex. gr. La Croix (l. 3. p. 1. n. 953), ea ratione ducti quod caritas non obligat divitem ad tale subsidium indigenti dandum (cfr. n. 223); ideo neque indigenti jus est ad illud arripiendum.

Probabilior tamen est sententia affirmans, quam sequuntur S. Alph. (n. 520) et plerique DD. Ratio est, quod si revera res magni valoris necessaria est ad necessitatem evadendam, eam arripere licet haud secus ac minus pretiosam, cum omnia tunc fiant communia. Falsa autem est ratio adversariorum supra citata, quia regula fundans obligationem dandi indigenti diversa est a regula fundante jus indigentis ad arripiendum. Obligatio enim dandi indigenti innititur praecepto caritatis quod cum gravi incommodo non obligat; facultas arripiendi nititur jure quod singulis inest utendi rebus communibus, quatenus id necessarium est ad servanda bona quae natura omnibus communia esse voluit. Rectius tamen negatur licere indigenti arripere rem magni valoris quae sit medium omnino extraordinarium et exquisitum ad se ex necessitate liberandum, ex. gr. ingentem vim pecuniae ad recuperandam libertatem vel ad emenda remedia maxime pretiosa. Talia enim media noluit natura omnibus esse communia; immo etiam neminem obligat ad ea adhibenda ut vitam ipsam sibi conservet. (Lugo, l. c. n. 159)

4^o Pauperes peccant mortaliter rem magni momenti surripiendo, quando possunt petendo necessitatem suam evadere: non enim in necessitate extrema versatur qui petendo potest necessaria obtinere. Excipit tamen S. Alph. (H. A. tr. 10. n. 15) virum honoratum qui mallet mori quam mendicare. Si vero pauper re aliqua peculiari extreme indiget, ita ut dominus teneatur omnino eam dare, quia, ipso non dante, pauper periret, tunc iste nullatenus peccat rem non petitam arripiendo. (S. Alph. l. c. n. 140)

5^o In casu verae necessitatis, etiam tertio licet surripere aliquid e bonis alienis ut succurrat indigenti. (S. Th. l. c. ad 3)

503. II. Non licet rem alienam auferre in necessitate simpliciter gravi vel communi.

Ratio est, quod in his casibus regulariter non agitur de iis bonis quae natura omnibus communia esse voluit, ac proinde nihil est quod elidat jus exclusivum domini in rem suam. Ideo damnata est ab Innoc. XI prop. 36^a: " Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. "

Attamen, si quando in his necessitatibus ageretur de iis bonis quae natura omnibus communia esse voluit, puta de sanitate, quamvis in iis non nisi leve detrimentum timeretur, videtur licitum pauperi rem exigui valoris quam dominus facillime dare posset, ex. g. unum panem, auferre, si dominus rogatus dare nollet vel de ejus consensu dubitaretur. Natura enim, ad bona haec minora communia omnibus hominibus tuenda, videtur dedisse jus arripiendi media minora quibus communiter vitantur haec mala, quando haec media se habent ad hunc finem intentum sicut majora bona se habent ad fines majoris momenti. (Lugo, l. c. n. 156) Verum regulariter pauperes talia subsidia petere tenentur, siquidem domini rationabiliter inviti sunt ne sibi in seipsis auferantur dum, absque gravi incommodo, petendo obtineri potuissent. Quandoque tamen in necessitate gravi posset pauper aliquid exigui valoris surripere, probabiliter judicando opulentum dominum ex pietate non esse invitum, saltem quoad substantiam.

§ 3. DE OCCULTA COMPENSATIONE.

504. Occulta compensatio, in sensu quo a Theologis moralibus adhiberi solet, in eo est quod res aliena occupatur ut propria recuperetur.

ASSERTA. I. Ut occulta compensatio sit licita, requiruntur sequentes condiciones:

1^a Ut agatur de debito *e stricta justitia*, non autem e quadam convenientia tantum, qualis est ut consanguineus cum reliquis ejusdem gradus partem in hereditate per testamentum accipiat.

2^a Ut debitum illud sit *certum, saltem moraliter*. Ratio ob quam non licet compensatio occulta, quando debitum est tantum probabile, non ita facile assignatur, et ipse Lugo (de Just. et J. disp. 16. n. 102 seqq.) sat propensus est in eam admittendam. Nihilominus communissima sententia eam licere negat: quod forsitan satis demonstrant hallucinationis periculum et crebrae injustitiae ex hujusmodi compensationibus oriturae.

Attamen probabilius potest fieri compensatio occulta quando factum

cui debitum innititur est certum, jus autem quod ex illo facto oritur ita probabile ut iudex, non obstante alterius possessione, posset in favorem creditoris sententiam ferre. Tunc enim probabilitas proxime cadit in ipsam actionem auferendi rem alienam: quae propterea fit licita. Ita Lugo (l. c. n. 97 seqq.) et Lehm. (l. n. 939): hic tamen scite monet, in casu hoc minus obvio, generatim requiri ut ad prudentem virum vel confessarium recurratur. Sic licitum censent Lugo, Lessius aliique plurimi, diffamatum sibi pecunia compensare famam ablatam a diffamante, cum probabile sit diffamantem teneri ad pecunia compensandam famam ablatam, si nolit vel nequeat famam restituere. Huic opinioni tamquam probabili S. Alph. prius adhaesit; postea autem eam dimisit. (l. 1. n. 35) Certe talis compensatio numquam esset permittenda ultra id quod tribunalia verisimiliter essent concessura.

3^a Ut id pro quo fit compensatio jam *actu debeat*. Probabiliter tamen licet creditori anticipare et compensare sibi pro eo quod alter ipsi tantum post certum temporis lapsum debebit, sub hac duplici condicione: prior est, ut caveatur damnum quod debitori ex illa anticipata solutione oriri possit, ex. gr. minus sumendo pro rata damni emergentis vel lucri cessantis; posterior, ut sit morale periculum ne debitor suo tempore creditori satisfaciat. Ratio est, quod defensio justa est non tantum quando jam actu malum inferitur, sed etiam quando moraliter instat. (Lugo, l. c. n. 93)

4^a Ut *non sit alia via debitum recuperandi*. Si enim monendo debitorem vel iudicem adeundo potest creditor, sine gravi incommodo, rem suam recuperare, occulta compensatio recto ordini adversari videtur: non esset tamen grave peccatum, nisi ex occupatione alicujus rei determinatae sequeretur grave damnum debitori. Immo nullum erit peccatum in omissione hujus ordinis si timentur inimicitiae, amissio expensarum litis et similia. (S. Alph. n. 521)

5^a Ut quantum fieri potest *vitetur damnum debitoris*, sive spirituale, sive temporale: spirituale, quatenus existimans nondum extinctum esse debitum, maneret in mala fide; temporale, quatenus ipse vel ejus heredes iterum solverent. Ideo monendus esset de extinctione debiti, et, si iterata solutio fieret, restituendum esset acceptum. Attamen, ut recte monet Ball. P. (n. 40), in praxi haec monitio et restitutio aegre fieri poterunt, eo quod debitor occultam compensationem factam suspicatus, variis incommodis creditorem, puta famulum, afficeret. Quare, si talia timeantur, haec condicio omitti poterit; si quod inde damnum debitori obveniat, id iniquitati suae imputare debet.

Huc quoque refertur quod compensatio fiat in eadem specie cum ea quae debebatur: quod tamen intellegendum est, *si commode fieri potest*.

6^a Ut praecaveatur damnum quod *tertio* obvenire possit ex occulta

compensatione, ex. gr. eo quod famulus furti rei ablatae insimularetur. Attamen hoc damnum, per accidens secuturum, permitti posset, si secus compensatio cum notabili incommodo proprio omittenda esset. (n. 14)

II. Licita est occulta compensatio quae fit cum omnibus condicionibus in Asserto I requisitis.

Nihil enim in se continet quod justitiae commutativae repugnet, cum ille qui compensatione utitur sumat quod suum est. Nec repugnat recto ordini, qui ob stare nequit ne quis rem suam modo extraordinario recuperet, quando via ordinaria praeclusa est. Res patet e condicionum explicatione.

505. Saepe adhibetur occulta compensatio a **famulis** aliisve qui se alicujus domini servitio pro certa mercede addixerunt, contendunt autem hanc operae suae pretio imparem esse. Hos aliqui AA. universe damnant, quasi omnis occulta compensatio ipsis esset prohibita, ob damnationem ab Innoc. XI factam prop. 37^{ae}: "Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt." Sed plura hic distinguenda veniunt:

1^o Licet famulo, artifice aliisve mercede conductis, occulta compensatio sub iis condicionibus quae supra (Ass. I) explicatae sunt, quando moraliter certum est mercedem seu salarium esse infra pretium infimum ad quod jus haberent. Cfr. dicenda de justo salario operariorum n. 646 seqq. quae magnam partem similis condicionis hominibus applicari possunt. Excipe tamen, si hujusmodi homines omnino sponte in mercedem minorem consensissent, puta ob amicitiam erga dominum, ob spem alius favoris, etc. Sed cavendum ne sponte dicantur consensisse ii qui de iniqua mercede pacti sunt unice quia inopia adigebantur (n. 499): quod in operariis diurnis saepe contingit. Cavendum etiam ne judicent facilius salarium esse certo injustum cum de justa mercede docti multum disputent.

Nec obstat cit. prop. damnata. Non potuit enim R. P. intendisse ut famuli prohiberentur ab usurpando jure quod iis, sicut ceteris, competit; sed, teste S. Alph. (n. 524), damnavit propositionem ob suam generalitatem, e qua deduci posset licere famulis arripere quidquid judicarent, etiam cum mera probabilitate, sibi ob labores suos deberi.

2^o Profecto suadendum est ut famuli, sicut et reliqui omnes, antequam compensatione utantur, confessarium aliumve virum prudentem consulant. Sed merito opinatur S. Alph. (l. c.) contra La Croix, Viva, etc. hanc non esse strictam obligationem, cum minime repugnet eosdem homines de injuria sibi facta certum judicium ferre. Manifeste autem

requiritur ut compensationem facturum non tantum bene norit quid generatim exigi possit pro servitio quale ab eo praestatur, sed etiam ne, amore proprio obcaecatus, peritiam, industriam et laborem suum ultra modum aestimet.

3° Si famulus *sponte* auget operas suas vel artifex industriam promissam, nihil possunt propter hanc rationem occulte surripere, eo quod nullo contractu expresso vel tacito jus ad mercedem hujus laboris acquirunt; si vero ob voluntatem domini vel clientis expressam aut tacitam ita agunt, jus strictum ad eandem mercedem acquirunt, ideoque, intra limites statutos, compensatione uti poterunt.

§ 4. DE MATERIA GRAVI IN FURTO.

506. Gravitas materiae in furto desumenda est e gravi detrimento quod, per injustam ablationem rei alienae, infertur fini ob quem rerum externarum dominium incolume servetur oportet. Hic autem finis, ut bene exponit Lehmkühl (I. n. 931), duplicem habet respectum: unum ad singulos homines, ut inter eos pax et concordia vigeant; alterum, ad universam societatem humanam, ut in ea serventur securitas et necessarium incitamentum ad industriam laboresque sustinendos. Ideo gravitas furto accedere potest ex alterutro respectu.

Ob priorem respectum, grave censebitur furtum rei ob cujus ablationem dominus rationabiliter gravem tristitiam et aversionem a fure concipiat. Manifestum est in hoc casu quantitatem quae grave furtum constituat fore proportionatam domini facultatibus ejusque tristitiam et indignationem rationabiliter crescere cum inopia ipsius; insuper attendendum esse ad subripiantis personam, quia erga aliquos, ex. gr. uxorem et filios, minus rationabiliter erit graviter invitus. Ideo ea quantitas quae, ob respectum ad hunc particularem dominum et furem, grave peccatum efficit, dicitur **relative gravis**. Haec attendenda quotienscumque agitur de furto quod fiat uni particulari homini, nisi sit extraordinarie dives. Si quis enim ingentes divitias habet, videri potest eum ex ablatione summae etiam notabilis nullum serium damnum pati, nec rationabiliter gravem tristitiam concipere. Sed in illo casu ulterius investigandum est num forte e respectu ad securitatem et bonum universae societatis humanae gravitas huic rei alienae ablationi accedat.

Jamvero, licet furtum summae satis notabilis non afferret serium damnum hominibus ditissimis vel communitatibus, ac proinde leve tantum peccatum videri posset, securitas tamen societatis humanae postulat ut furtum sat notabilis summae vel valoris numquam non constituat peccatum grave. Si enim sub levi tantum prohiberetur, multiplicarentur

quamplurimum hujusmodi furta, puta falsificando merces, fraudando in pondere et mensura etc., ac proinde notabiliter noceretur securitati et fiduciae commercii humani. (Lugo, disp. 16. n. 29) Ideo statuenda est aliqua summa quam numquam sine gravi peccato a quolibet auferre liceat, et quae propterea quantitas furti **absolute gravis** vocetur.

507. Ad quantitatem relative gravem pressius determinandam, DD. communiter statuunt: ut furtum, quod in unius domini praejudicium fit, peccatum letale constituat, requiri et sufficere illam quantitatem qua dominus, juxta condicionem suam, ad se cum familia sua singulis diebus alendum indigeat: quae regula, ut notat S. Alph. (n. 527), valde obscura est, nec universe pro omnibus valet. Hinc tamen licet concludere, quod clarius est, graviter peccare eum qui operario diurnam mercedem seu salarium furetur, cum, saltem regulariter, salarium aequivaleat diurnae sustentationi operarii cum familia sua.

Ingens vero est auctorum dissensio ubi materiam tum relativam, tum absolutam, certa pecuniae summa determinare volunt. Hinc patet fieri non posse ut talia arithmetice definiantur, sed, exceptis limitibus extremis, multa esse intermedia quae e variis temporum et locorum circumstantiis, judicio prudentis viri, dijudicanda maneant.

Juvabit tamen ad hoc judicium efformandum sequentia prae oculis habere:

1° Non esse attendendum valorem pecuniae *absolutum*, sed *relativum* seu ejus conducibilitatem ad procuranda sibi quae vitae necessaria vel utilia sunt, ut cibos, vestes, etc.

2° Valorem hunc pecuniae a medio aevo plurimum minutum esse, tum ob detecta nova auri argentique metalla, tum ob emissam monetam papyraceam, ideoque hodie majorem summam requiri ad furtum grave constituendum quam saeculis elapsis, immo quam primis saeculi decimi noni decenniis. (1)

3° Nec nostris temporibus idem est pecuniae valor in omnibus regionibus, etiam excultis, ne de remotissimis et barbaris loquamur, in quibus saepe paucis assibus labor et victus diurnus constant. Ita minor est pecuniae valor in America et Australia quam in Europa, in Anglia quam in Belgio, in Belgio quam in Italia, etc. Ideo etiam AA. qui nostro tempore in variis regionibus scribunt, rationabiliter in determinanda furti gravis quantitate ab invicem dissidere possunt.

4° In regione nostra haec videntur teneri posse ad materiam relative

(1) Pecuniam ab anno 1790 ad nostra tempora, fere 30 % ad 40 % valoris sui relativi amisisse opinantur peritissimi Oeconomistae. Cfr. P. Leroy-Beaulieu, *Essai sur la répartition des richesses*, p. 104.